

Predestinacio sive providencia divina A

Predestinacio est divine voluntatis per gratiam electio.

Augustinus libro de predestinatione sanctorum.

Predestinacio sive providencia divina B

Sicut tu memoria tua non cogis facta esse que preterierunt, sic Deus prescencia sua non cogit facienda que sunt futura.

Augustinus libro 3. de libero arbitrio.

Predestinacio sive providencia divina C

Predestinatorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam nec minuat ex eis; tene ergo quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim alius non est accepturus nisi iste perdiderit certus est numerus.

Augustinus de predestinatione sanctorum.

Predestinacio sive providencia divina D

Predestinacio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi.

Augustinus libro de predestinatione sanctorum.

Predestinacio sive providencia divina E

Sicut tu quedam que fecisti meministi nec tamen que meministi omnia fecisti? Ita Deus omnia quorum ipse est actor prescit, nec tamen omnium que prescit ipse actor est, quorum autem non est malis actor, iustus est ultor.

Augustinus libro 3. de libero arbitrio.

Predestinacio sive providencia divina F

Nemo venit nisi tractus; quare illum trahat et illum non trahat? Noli velle iudicare si non vis errare. Semel accipe et intellige. Nondum traheris, ora ut traharis. Ramum viridem ostendis ovi et trahis illam. Noces puero demonstrantur et trahitur et quo currit trahitur, amando trahitur, sine lesione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur.

Augustinus super Iohannem homelia 27.

Predestinacio sive providencia divina G

Prescencia est unamquamque rem antequam veniat videre et id quod futurum est priusquam presens sit providere.

Gregorius in dialogo.

Predestinacio sive providencia divina H

Optineri nequaquam possunt que predestinata non fuerant, sed ea que sancti viri orando efficiunt, ita predestinata sunt ut precibus obtineant, nam ipsa quoque perennis regni predestinacio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare.

Gregorius in dialogo libro 1.

Predestinacio sive providencia divina I

Prefixi dies singulis ab eterna Dei prescencia nec augeri possunt nec minui, nisi contingat ut ita presciantur, ut aut optimis operibus longiores fiant, aut cum pessimis breviores.

Gregorius in moralis.

Predestinacio sive providencia divina K

Providencia Dei ita omnia disposuit quod nichil ociosum remansit. Maliciam non fecit, cum tamen ab aliis inventam prohibere possit non prohibet. Si enim malicia non esset, virtus contrarium non haberet nec claresceret, nec examinacio fieret, non probata vero nec examinata nec virtus esset.

Origenes super illud Numeri 22: Stetit angelus Domini contra Balaam.

Predestinacio sive providencia divina L

Tolle maliciam fratrum Ioseph et invidiam simul perimes dispensacionem Dei, et que in Egypto pro salute omnium gencium gesta sunt. Si Ioseph non venditur, somnium pharaonis non exponitur, nemo frumenta in Egypto congregabit, peribit Egyptus et finitime regiones et ipse Israhel et semen eius querens panem Egyptum non ingreditur nec egredietur in mirabilibus Dei nec fient virtutes quas fecit per Moysen et Aaron, nemo mare rubrum sicco pede transibit, non dabitur manna neque aqua de petra, nec lex in monte Sinai, terram promissionis nullus intrabit.

Origenes ibidem.

Predestinacio sive providencia divina M

Tolle regis Ballaac maliciam et nusquam erunt prophete Balaam, aufer maliciam Iude et prodicionem auferes pariter et crucem Christi et passionem. Si non fuisset mors Christi nec resurrectio eius, nec aliquis primogenitus ex mortuis nec spes resurrectionis.

Origenes ibidem.

Predestinacio sive providencia divina N

Tolle astucias diaboli, nec erit corona victoriae legitime certanti, si desint obsistentes, non erunt agones, nec victoribus munera parantur. Non solum ergo bonis utitur Deus ad opus bonum, sed eciam malis. Sunt vasa ad honorem sunt ad contumeliam, utraque tamen necessaria.

Origenes ibidem.

Predestinacio sive providencia divina O

Persecucionibus crebris utitur ut cito predestinatorum numerus impleatur.

Cassiodorus super Psalmum 79.